

DISPUTATIO VI.
DEMINISTERIO VERBI.
Ex Articulis V. et XIV. Aug. Confessionis.

THESIS I.

FXposita doctrina de IUSTIFICATIONE hominis peccatoris coram DEO, eiusque ueris causis, inprimis instrumentali *πρὸς ἡμᾶς* respectu nostri, quae est FIDES, ordo requirit agere de medio seu instrumento, per quod FIDES confertur et gignitur, estque illud MINISTERIUM VERBI.

II. Est et hic V. Articulus bipartitus *ἑσιν* et *ἀντίθεσιν* continens.

III. I. In *ἑσιν* agitur de FINE MINISTERII, qui est *collatio Fidei*, ubi tria notantur, I. *κύριον αἴτιον*. II. *ὄργανον*. III. *ὑποκείμενον*.

III. I. *Κύριον αἴτιον*, *author primarius*, seu *primus motor*, qui nobis pedem ex *ἀπιστίας* καὶ *ἀσελγείας* coeno eleuatum, in scala Iacobaea collocat, et velamen carneum cordibus nostris impositum tollit 2. Cor. 3. 15. 16. est SPIRITVS SANCTVS 1. Cor. 12. 9. Gal. 5. 22. Hinc dicitur spiritus *σοφίας*, *ἀποκαλύψεως* καὶ *τῆς πίστεως* Ephes. 1. 17. 2. Cor. 4. 13.

V. II. *ὄργανον*, *instrumentum* seu *medium*, quo utitur SPIRITVS SANCTVS *ordinarie* ad gignendam FIDEM est *ministerium uerbi et Sacramentorum*. Rom. 1. 16. et 10. 17. 1. Corinth. 4. 15. Tit 3. 5. 1. Pet. 3. 21. Rom. 4. 11.

VI. *Ordinarie* dico; nam alia est ratio infantulorum, qui uel in utero ante partum, uel in ipso partu, morte praeuerti, ab ordinario medio fidei et lauacro regenerationis excluduntur: in illis enim *ἀμέσως* immediate fidem Spir. S. operatur. Exemplo nobis esse possunt Israelitarum liberi, qui in continua profectioe commode circumcidi non poterant, sicque moriebantur: quos